

SUPREMUM SIGNATURÆ APOSTOLICÆ TRIBUNAL
Sententia definitiva

Prot. N. 48503/13 CA
Dioecesis N.
Exercitii sacri ministerii
(Rev.dus X – Congregatio pro Clericis)

SENTENTIA DEFINITIVA

IN NOMINE DOMINI. AMEN

FRANCISCO PP. feliciter regnante, Pontificatus sui anno III, die 16 ianuarii 2016, Supremum Signaturæ Apostolicæ Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis Dominico Card. Mamberti, *Praefecto*, Ludovico Card. Martínez Sistach, Iosepho Card. Versaldi, atque Exc.mis et Rev.mis D.no Philippo Iannone, O.Carm., et Antonio Stankiewicz, *Ponente*, atque intervenientibus Cl.mo Christiano Begus, utpote Rev.di Recurrentis Advocato-Procuratore, Cl.ma Martha Wegan, tamquam Patrona Auctoritatis ecclesiasticæ, necnon Rev.mo D.no Paulo Malecha, Promotore Iustitiæ Substituto, hanc definitivam tulit sententiam.

FACTI SPECIES

1. Rev.dus X, die 23 novembris 1965 natus, presbyter dioeceseos N., variis officiis ecclesiasticis in sua dioecesi et extra eius fines expletis, de consensu proprii Episcopi munus cappellani apud “Y Catholic College” in dioecesi W die 1 septembris 2012 exercere incepit. Incommode tamen accidit ut ipsemet ob improbum agendi modum cum quibusdam maioris ætatis alumnis, a Praeside dicti Collegii a munere suo amotus sit die 19 novembris 2012, cum utriusque eventus repercussione penes communicationis socialis instrumenta.

Re ita perspecta, Exc.mus Episcopus N., ad scandala praevenienda, decreto diei 7 decembris 2012 facultates Rev.do X. concessas revocavit atque ei quodlibet ministerium coram populo exercere prohibuit. Insuper Exc.mus Praesul die 8 ianuarii 2013 oretenus certiore fecit eundem sacerdotem de necessitate subeundi examen psychologicum ad obtinendam facultatum restitutionem.

Utrique decisioni Rev.dus X. die 10 ianuarii 2013 sese opposuit, etsi formalem remonstrationem contra ministerii presbyteralis coarctationem tantum porrexit. Exc.mus Episcopus tamen decisionem suam litteris diei 15 ianuarii 2013 confirmavit et sacerdotem denuo exhortatus est “*to have a psychological assessment at an accredited institute before I would consider reinstating your faculties*”.

In hoc rerum statu Rev.dus X. die 28 ianuarii 2013 remonstrationem iterum proposuit tum quoad ministerii presbyteralis coarctationem, tum quoad examen psychologicum sibi impositum tamquam contrarium iuri ad propriam intimitatem tuendam (cf. can. 220). Sed Exc.mus Episcopus litteris diei 5 februarii 2013 utramque obiectionem reiecit, ratus nempe examine psychologico assertum ius “*to privacy*” minime lædi, quia ad Episcopum pertinet iudicium de idoneitate presbyteri ad exercendam pastoralem fidelium curam (cf. cann. 521, § 3; 524).

Adversus Exc.mi Episcopi decisionem Rev.dus X recursum hierarchicum ad Congregationem pro Clericis die 13 februarii 2013 interposuit.

Haec autem Congregatio priusquam recursum de merito pertractaret, litteris diei 16 maii 2013 Recurrentem certiore fecit de sanatione actorum quae vitiis in procedendi modo infecta erant “*to preserve your right to pursue a just resolution in an ecclesiastical forum*”.

Deinde aditum Dicasterium, praehabito voto Exc.mi Episcopi, decreto diei 10 septembris 2013 recursum quoad expetitam restitutionem facultatum sacerdotalium reiecit “*in its entirety*”, utpote fundamento in iure et in facto carentem; admisit vero provocationem relate ad examen psychologicum ab Exc.mo Episcopo requisitum, eiusque deliberationem hac in re infirmavit. Quam decisionem eadem Congregatio etiam litteris die 5 octobris 2013 ad Rev.dum Recurrentem transmissis iterum adfirmavit.

Hic vero contra dispositivam decreti partem de non restituendis sibi facultatibus sacerdotalibus recursum contentiosum administrativum die 28 octobris 2013 ad Supremum Tribunal Signaturæ Apostolicæ interposuit.

At Supremum Tribunal, re sedulo examini subiecta in Congressu coram Em.mo Praefecto die 29 ianuarii 2015 habito, recursum, “ad assertam violationem legis *in procedendo* quod attinet, reiciendum esse” decrevit; relate autem “ad assertam violationem legis *in decernendo* ad disceptationem coram Em.mis et Exc.mis Patribus Iudicibus admittendum esse” statuit.

Nemine ulterius recurrente adversus priorem decreti partem, assertam violationem legis in procedendo reicientem, dubium concordatum est die 4 martii 2015 hac sub formula: “*An constet de violatione legis in decernendo relate ad decretum a Congregatione pro Clericis die 10 septembris 2013 latum, et, quatenus affirmative, an et quo modo damna reficienda sint*”.

Receptis Cl.morum utriusque partis Patronorum memorialibus et voto pro rei veritate Rev.mi Promotoris Iustitiae Substituti, nunc praefato dubio respondendum est.

IN IURE ET IN FACTO

3. Quoniam super asserta violatione legis in procedendo nullus recursus ad Collegium Iudicum H.S.T. delatus est (cf. art. 84 *Legis propriae*), hoc in stadio processus contentiosi administrativi non est locus ulteriori disceptationi de procedendi modo, quo Exc.mus Episcopus usus est in coarctando exercitio ministerii sacerdotalis Rev.di X. Quo aptius tamen perpendi possit decidendi ratio decreti ab Exc.mo Episcopo emissi et a Congregatione pro Clericis confirmati, iuvat aliquas saltem considerationes referre ex decisione Congressus H.S.T., scilicet de natura administrativa et non poenali praedicti actus arctius stringentis exercitium ministerii sacerdotalis Rev.di Recurrentis deque ad tempus indeterminatum impositae coarctationis duratione.

Quam enim iuxta Congressus decisionem coarctationes in exercendo ministerio sacerdotali Rev.do Recurrenti impositae “non sunt naturae poenalis”, quia “in casu tantum de remediis administrativis non poenalibus fieri potest sermo”, ex quo Exc.mus Episcopus non tenebatur observare “id quod processus administrativus poenalis exigit”.

Explorationes pro rei veritate hac in causa propositae, utique, clare ostendunt Exc.mum Episcopum in percurrenda via administrativa non poenali ad normam canonum 50 et 51 diligentem instituisse investigationem cum Rev.di Recurrentis participatione atque necessarias collegisse informationes ad veritatem detegendam.

4. Ad assertam *violationem legis in decernendo* quod spectat, Congregatio pro Clericis decreto diei 10 septembris 2013 statuit legitimam fuisse decisionem Exc.mi Episcopi N. diei 7 decembris 2012, gravibus de causis prolatam, quae ad vitandum scandalum et damnum Ecclesiae forte obventurum, coarctavit ministerium Rev.di X per revocationem facultatum et prohibitionem assumendi quodlibet ministerium coram populo in dioecesi N. Nam iudicio istius Dicasterii Exc.mus Episcopus proprius Rev.di X. “*can lawfully restrict the cleric’s exercise of ministry ad cautelam by means of an administrative Decree, but only temporarily. Once the presence of the requisite qualities has been verified, the Ordinary would be obligated to lift whatever restriction he had placed upon the cleric*”.

5. Iamvero, distinguendum est inter prohibitionem ministerii presbyteralis coram populo exercendi et collationem officii, ad quam de idoneitate

candidati constare debet auctoritati competenti, uti patet ex can. 149, § 1 (cf. decretum Exc.mi H.S.T. Secretarii diei 27 februarii 2013, prot. n. 47514/13 CA, p. 2). Sed et quoad facultates ad ministerium sacerdotale exercendum distinguendum debet inter illas ab homine et eas a lege concessas. Primae facultates, seu illae ab homine concessae, sunt eae, quae dantur alicui per actum particularem Superioris; alterae autem facultates conceduntur ab ipsa lege.

6. In casu Exc.mus Episcopus permisit Rev.do Viro tantummodo S. Missam sine populo celebrare et ei significavit eum, ad normam can. 976, quoslibet paenitentes in periculo mortis versantes absolvere posse. Ex eo autem clare elucet Exc.mum Ordinarium Rev.do Sacerdoti non tantum facultates ab Ordinario dioecesano datas, seu confessiones audiendi et Verbum Dei praedicandi, et quidem nulla specifica ratione adducta, verum etiam illas ipsa lege universali concessas, uti potissimum S. Eucharistiam coram populo celebrandi, sustulisse. Presbyteri tamen sine dubio munus sanctificandi *sub Episcopi auctoritate* exercent (can. 835, § 2), *sed eius potestas moderandi exercitium muneris sanctificandi ex parte presbyterorum haudquaquam aequari potest cum potestate illud exercitium tollendi, nisi ad normam iuris, speciatim quod attinet ad facultates ipsa lege universali concessas* (H.S.T. decretum Congressus coram Vallini diei 13 iunii 2008, prot. n. 38962/06 CA, p. 3, n. 5). Nullo enim modo exigitur deputatio ex parte Ordinarii ad exercendas facultates ipsa lege universali concessas (cf. *ibid.*).

7. Coram tam ampla coarctatione administrativa ministerii presbyteralis haud immerito aliquis secum quaerit “*in cosa differisce l’allontanamento permanente dal ministero attivo – con l’annessa proibizione di celebrare la Messa in pubblico o di amministrare i Sacramenti [...] – dalla figura della dimissione dallo stato clericale? L’unica differenza apparente è la possibilità di dire la Messa in privato e di ricevere il sostentamento di un chierico (can. 1350, § 1)*” (K.E. Boccafolo, *Le norme penali degli USA e la loro applicazione*, in: D. Cito (a cura), *Processo penale e tutela dei diritti nell’ordinamento canonico*, Milano 2005, 321).

8. Iamvero, ad evitandas onerosas ambiguitates potissimum vero ad praevendendam arbitrariam decidendi rationem ex parte Auctoritatis ecclesiasticae, iurisprudencia H.S.T. in dimetienda illegitimitate actus administrativi sequitur proportionis principium vel criterium, quod iam pridem in ius poenale ingressum est cum conceptu poenae retributivae, seu proportionatae nefario agendi modo delinquentis, servata inde aequa proportione inter sanctionem poenalem et delictum (cf. can. 2218, § 1 CIC 1917). Quam ob rem vi huius principii

quodvis decretum administrativum aequam proportionem servare debet cum eius motivis seu causis, quae praecedentem rationem sese gerendi partis recurrentis exprimant.

9. Quibus omnibus rite perpensis, Patribus visum est hac in causa aequam proportionem servatam non esse inter improbum quidem agendi modum Rev. di X. tempore exercitii muneris cappellani Collegii Y. et gravissimam coarctationem ministerii sacerdotalis, ei impositam per viam administrativam non poenalem ab Exc.mo Episcopo et confirmatam ope impugnatam decreti Congregationis pro Clericis diei 10 septembris 2013.

Idque plene congruit dictamini iurisprudentiae H.S.T. quod penes “extra ambitum poenalem illegitima censenda est prohibitio, per actum administrativum imposita, exercendi quodvis ministerium presbyterale coram populo, inclusis facultatibus iure universaliter presbyteris concessis” (decretum Congressus coram Burke diei 30 maii 2009, prot. n. 41760/08 CA, p. 2, n. 6).

10. Enimvero in causa Rev.dum Recurrentem respiciente cum principio proportionis omni ex parte incompatibilis evadit sive detractio facultatum ipso iure ad omnes presbyteros spectantium, sive prohibitio quodlibet ministerium coram populo exercendi in sua dioecesi.

Profecto, etiamsi modus sese gerendi Rev.di Recurrentis cum alumnis in Collegio Catholico valde improbandus sit, et firmo principio iuxta quod Exc. mo Episcopo constare debet de idoneitate presbyteri, antequam ei officium conferat (cf. supra n. 5), illegitima tamen haberi debet extra ambitum poenalem, seu per actum administrativum non poenalem, statuta retractatio facultatum sive iure universaliter concessarum et prohibitio ei imposita quodcumque ministerium sacerdotale coram populo exercendi. Hac igitur de causa haud dubie constat de violatione legis in decernendo relate ad decretum a Congregatione pro Clericis die 10 septembris 2013 latum.

11. Cum vero ad normam art. 34, § 2 *Legis propriae* ad hoc Supremum Tribunal praeter iudicium de illegitimitate etiam spectet cognoscere de reparatione damnorum illegitimo actu administrativo illatorum, si recurrens id postulet (cf. art. 123, § 2 Const. Ap. *Pastor bonus*), Cl.mus Rev.di Recurrentis Patronus expetit “ut omnes summae pecuniae, quas Rev.dus X. amisit vel non accepit, solvantur et praesertim bona fama recuperetur quibusvis mediis”.

Attamen ad damnum materiale quod spectat, animadvertendum est Exc. mum Episcopum honestae sustentationi et assistentiae sociali, id est “*his salary and health insurance*”, ad normam iuris (cf. can. 384) se provisurum promisisse, id est “*that the Diocese would continue to cover both*”.

Ad bonae famae recuperationem quod attinet, dicendum est Rev.dum Recurrentem bonam existimationem amisisse post publicationem motivorum suae amotionis a munere cappellani Collegii Catholici in “Y” in variis ephemeridibus tam in dioecesi N. in A, quam in dioecesi W in B. Haec autem divulgatio diurnalis, quae eius bonam famam laesit apud fideles utriusque dioecesis, facta est antequam Exc.mus Episcopus ad facultatum revocationem perveniret. Hoc igitur in casu valet principium quod penes: “Damnum quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare” (Reg. 86, R.J. in VI°). Cum autem disproportio habeatur inter decisionem impugnatam et eius rationem, sufficit ut haec sententia publici iuris fiat, iuxta modum in appositis litteris explicandum, si tamen Rev.dus Recurrens instet.

CONCLUSIO

12. Omnibus in iure et in facto mature perpensis, infrascripti Patres pro Tribunali sedentes ac solum Deum prae oculis habentes, dubio proposito respondendum esse decreverunt atque respondent:

Affirmative, seu constare de violatione legis in decernendo relate ad decretum a Congregatione pro Clericis die 10 septembris 2013 latum. Quod attinet ad refectionem damnorum, sufficit ut sententia H.S.T. publici iuris fiat (cf. n. 11).

Restituatur cautio pro expensis iudicialibus a Rev.do Recurrente in arca H.S.T. deposita. Ipse suo Cl.mo Advocato-Procuratori atque Congregatio pro Clericis et Exc.mus Episcopus suae Cl.mae Patronae congruum solvant honorarium. Expensae processuales solvantur ex arca H.S.T..

Hanc definitivam sententiam cum omnibus quorum interest communicandam et executioni mandandam decernimus, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 16 ianuarii 2016.

(Signati)

Dominicus Card. Mamberti, *Praefectus*

Ludovicus Card. Martínez Sistach

Iosephus Card. Versaldi

✠ Philippus Iannone, O.Carm.

✠ Antonius Stankiewicz, *Ponens*

Et notificetur.

Die 12 aprilis 2016

✠ Franciscus Daneels, O.Praem.
Secretarius

Iosephus Ferdinandus Mejía Yáñez, M.G.
Praepositus Cancellariae

* * * * *